

tur: vobis tamen jam præsto sunt, quæ cum angelis incorruptionem servatis. Quæ licet de hoc mundo sitis, tamen, favente Deo, jam in hoc mundo non potuit. Beata itaque Maria hodie jam ab omnibus gentibus longe lateque prædicatur: & vobis quæ sequatur estis exemplum tantæ virginis, beatitudo condonatur cælestis. Quas non illecebræ sollicitant corporis, non colluvio præcipitat voluptatis, non æstus inflammat incentivæ carnis, imò angelica imitatio delectat in terris: quorum in futuro aequalitas reponitur in cælis. Beata igitur estis filia, sed & beata vidua quæ cælibem in Christo vobiscum ducunt vitam: quia secundum Apostolum liberata à lege viri, sic permanserunt. Beatorum, inquit, erit si sic permanserit secundum meum consilium. Puto enim, ait, quod & ego spiritum Dei habeo: videnter volens exprimere, quid inter se inteream, quæ adhuc est juncta lege viro, & inteream, quæ jam soluta vinculo beatorum prædicatur. Quod si utraq; beata, quia in Christo, beatorum tamen quæcumque jam soluta est vinculo & cælestia factatur. Ideo viduæ semper virginibus bene copulantur, ut ait Apostolus: Mulier innupta & virgo, cogitat quæ sunt Domini, ut sit sancta corpore & spiritu: quodammodo enim magisterium virginis, viduarum gliscit & confortatur exemplis, quæ cum viri castum servaverint connubium, doceant integritatem magis virginibus Deo servandam: & quod propemodum non inferioris virtutis est à conjugio abstinere, quod aliquando delectaverit, quam conjugii delectamenta nescire. In utroque siquidem gradu fortitudo laudatur, & cælestis vite prædicatur virtus. Idcirco cognitionem jam cum Christo uterque ordo sortitur. Unde Dominus: Si quis, inquit, fecerit voluntatem patris mei, qui in cælis est, ipse meus frater, foror & mater est: ubi non sexus, non ætas, non conditio discernitur, sed qui fecerit, inquit, voluntatem patris mei qui in cælis est. Unde quia libera facultas cunctis præstat, estote, charissime, ad id quod vos Christi gratia vocavit, estote matres Christi ac sponsæ, estote forores ac propinquæ: quia quod carne non potuistis, gratia totum condonatum est vobis. Et ideo diligite matrem Domini, quæ vobis sponsum genuit immortalem: cujus & vobiscum foror est ipsa, quia voluntatem patris fecit ut esset mater. Propinqua quidem vobis non carne, sed spiritu: ut unitas commendetur Ecclesiæ, & societas corporis Christi intelligatur. Ex quo Dominus: Volo pater, inquit, quia ego & tu unum sumus, ut & ipsi in nobis unum sint. Quæ profecto unitas per unum mediatorem Dei & hominum efficitur. Facite ergo voluntatem patris & vos, ut unum esse possitis. Ornate lampades vestras, occurrere sponso, quia jam ad ostium pulsatis, & matrem, si eam diligitis, sequimini. Intus autem parate & ornate lampades vestras, quia filia regis estis. Omnis enim gloria vestra ab intus fit, & intus habete quod foris luceat: ne forte inter has solennitates prius quam sponsum veniat, vestra lampades extinguantur. Nam celebritas hujus diei, non nisi accensis lampadibus intus & foris rectè colitur. Ideo emendum est oleum dum vacat, ne cum sponso venerit, quod ablit, vacuæ inveniamini. Propterea quæ solum sunt sapite, ubi beata pervenit virgo, & non quæ super terram; quia vestra conversatio, si estis jam quod vovistis, in cælis fore debet. Illuc dirigite mentem, illuc abscondite vitam vestram, donec pertranseat furor Domini, quò beata Dei genitrix hodie pervenit: ibi namque habetis sponsum, ibi pontificem, ibi omnia quæcumque quaesistis. Illuc dirigite mentem, ut cum Christus virginis filius apparuerit in fine sæculi, cum ipso & vos appareatis in gloria. Amen.

CENSURA EPISTOLÆ SEQUENTIS.

Similiter cadentia, & similiter desuetudine, ad nominationes translationes, aliaque id genus schemata, denique totius sermonis gustus Augustinum sapit. Et in nonnullis libris lectiones, quæ recitantur in festo purificationis hinc decerpit, nomen illius præferunt.

DE ASSUMPTIONE BEATÆ VIRGINIS Mariæ, sermo.

SCIENTES, fratres dilectissimi, auctori nostro multum nos debere conditos, plus redemptos, redemptionis nostræ

commercium veneremur, & illum sacratissimum uterum, ex quo homini Deus unicus apparuit: & si nequimus meritis, saltem celebremus obsequiis, scientes erroris nostri tenebras, partim ejus fulgore dispersas; quia quæ homines per protoplastorum negligentiam, primæ matris contumaci tam arrogantia quam gula perdididerant, hujus sacræ virginis partus, non solum restauravit diruta, sed dona contulit sempiterna, & ideo cunctis præconiis veneremur salutis auctricem: quæ dum auctorem suum concepit ex cælo, nobis redemptorem ostendit in sæculo: & quia ad vicem ejus, matris nostræ Ecclesiæ forma constituitur, ipsa eam inter procellas sæculi frequenter aspiciat, ipsa inter incursum mundiales continua oratione confoveat. Neque enim dubium est illam quæ meruit pro liberandis ferre pretium, posse impartiri suffragium liberatis: nostra inter hæc oratio jugis ad Dominum dirigatur, ut qui pro honore nominis sui, victa illa quæ sanctificaverat intravit, quæ etiam nos ipsi sedulitate debita veneramus, proficit nobis ad remedium quod per eam se nobis dedit precium. Merito igitur beata Maria singulari à nobis præconio attollitur, quæ singulare commercium mundo præbuit: merito inter feminas tunc etiam lætabatur, cum singulari medici nam pudico alvo gestabat. Sciebat quidem pondera ventris, quæ pudorem non perdidit castitatis. Mirabatur partus insignia, quæ nulla noverat viri contagia. O bene secunda virginitas, quæ novo inauditoque genere & mater dici posset & virgo. Peperit enim à quo concepit, portavit à quo creata extitit. Siquidem ipse est auctor Mariæ, qui est ortus ex Maria. Sic inenarrabiliter beata Maria mater & virgo est, quæ dum fructum prægnationis extulit, integritatis dispendium non incurrit: apud quam ita cælestis providentia negotii ipsius conditionem disposuit, ut magis obedientiam exhiberet in mandato, cum honorificentiam suam cognosceret ex angelo. Neque enim fidem derogat nuntii, quæ dignitatem intelligit nuntiantis, angelo ei dicente: Spiritus sanctus superveniet in te, & virtus altissimi obumbrabit tibi: ideoque & quod nascetur ex te sanctum, vocabitur filius Dei. Credit admonita quod audivit, meruit sanctificata quod credidit. Denique tantum sese ad cæli fastigium sublevavit, ut verbum in principio apud Deum, id est Dei filium, de summa cæli ara susciperet. Cumque se per mysticum divinitatis arcanum carni nostræ fragilitati commiseret, latuit in homine divinitas, ut divinitate humanitas non periret: & sub velamento assumptæ carnis abscondit, pretiosius redemit perditos, quam si defenisset ab imminente hoste captivos. Immensa pietas, & supra quam fieri possit prædicanda majestas, viscera puellæ auræ sancti Spiritus implebantur: innupta virginis vulva, verbi semine crescente, turgibat. Replebantur, inquam, arcana viscerum sacri Spiritus fecunditate repleta, & erat spes in partu, quia non erat voluptas in coitu. Stupebat pretiosissima genitrix, & apud se tacita rerum novitate mirabatur. Urebatu æstu cogitationis ab igne, & percussa rerum novitate obstupescere mirabiliter. Sciens enim suam integritatem, mirabatur ventris ubertatem felix Maria. O genitrix gloriosa, o puerpera sublimis, cujus visceribus auctor cæli terræque committitur: felicia oscula labris impressa lactentibus, cum inter crebra indicia reptantis infantie, utpote verus ex te filius tibi mater alluderet, cum verus ex patre Dominus imperaret. Nam auctorem tuum ipsa concipiens, edidisti in tempore puberem, quem habueras ante tempora conditorem. Fœlix puerperium, lætabile angelis, expectabile sanctis, necessarium perditis, congruum profligatis: qui post multas assumptæ carnis injurias, ad ultimum verberatus flagellis, potatus felle, patibulo affixus. Ut te veram matrem ostenderet, verum se hominem patiendi tormenta monstravit. Tu ergo beata gloriosaque Maria, inter ista & propter ista laudabilis, quæ sic meruisti donum fecunditatis, quæ virginitatis non amisisti suffragium. Tu es enim benedicta inter mulieres. Tu prerogata cunctis virginum catervis. Tu sequeris agnum quocumque perrexerit. Tu virgineos choros & ab incentivæ carnis illecebris alienos, per albertia lilia rosasque vernantes, ad fontem perennis vitæ invitas. Tu in illa beatorum felicissima regione, primi ordinis dignitatem adeptas es, plantis roscidis oberrans, inter paradisi amœnitates & gramineos choros tenero poplite pergens, felicitæ palma violas immarcescibiles carpis. Tu continetibus sine fine angelis conjuncta, archangelicæ sociata, indefessa clamitare voce, Sanctus, Sanctus, Sanctus, non desinis. Sed quid dicam pauper ingenio cum de te quidquid dixerò, minus

nus profecto est quam dignitas tua meretur: Si matrem vocem gentium, præcellis: si formam Dei appellem, digna existis: si nutrice cælestis panis vocitem, lactis dulcedine reple. Lacta ergo mater cibum nostrum, lacta cibum angelorum, lacta cum qui talem te fecit, ut ipse fieret in te: qui tibi munus fecunditatis attulit conceptus, & decus virginitatis non abstulit natus: qui prius quam nasceretur, te matrem creavit ex qua nasceretur, ut illinc procederet tanquam sponsus de thalamo suo, quo mortalibus oculis posse videri. Quanta fuit hæc dignatio, ut crearetur ex te, quam creavit: portaretur manibus, quas formavit: fugeret tua ubera, quæ ipse implevit: Quas itaque laudes charitati Dei dicemus, quas gratias ei agemus: qui nos ita dilexit, ut propter nos homo fieret, ut matrem hominis eligeret, ut uterum nostræ conditionis intraret, ut contumelias nati infantis subiret, atque cuncta humanitatis necessaria sustineret. Agentes ergo quantum sufficimus creatori nostro gratias, Assumptionem gloriosissimæ Dei genitricis cum gaudio celebremus. Dignum namque est cum summa ei gratulatione famulari, per quam insignia virginitatis pullularunt: Siquidem ipsa virgo exiit ante conjugium, virgo in conjugio, virgo prægnans, virgo pariens, virgo lactans: & dicta merito mater, non de marito. Sanctæ quippe matri omnipotens filius nullo modo natus virginitatem abstulit, quam nasciturus elegit. Exultent ergo virgines, virgo peperit Christum: nihil ex eo quod voverunt putent exterminatum, quia mansit virgo post partum. Exultent viduæ festum virginis celebrantes: Anna viduam virginem matrem agnovit. Exultent conjugatæ solennia beatæ matris frequentantes: Elizabeth conjugata à virgine matre salutata est Domini. Exultent & pueri continentiam voventes puero. Ipse integritatem pueritæ consecravit, qui lux matri fecunditatem attulit, virginitatem non abstulit. Ipsi gloria per infinita sæcula sæculorum. Amen.

CENSURA EPISTOLÆ SEQUENTIS.

Tam evidens est in hac styli discrimen, ut cujuscuque sit, Hieronymi videri non possit. Ad hoc nec præsertim in titulo nomen ejus ad quem scripta est, nec usquam habet admixtum.

DE HONORANDIS PARENTIBUS.

PARENTUM meritis subjugans filios omnipotens Deus, servandi legem in officiis posteris dedit, ut hoc divino cogantur facere imperio, quod debuit pietas suadere: dicente illo in libro Exodi, in quo ita scriptum est: Honora patrem tuum & matrem tuam, sicut præcepit tibi Dominus, ut bene sit tibi: & sis longæ vitæ super terram, quam Dominus Deus tuus dabit tibi. Audite filii salutiferam jussionem: & præcepta legis affectu debiti amoris implete. Servite patribus futuri patres: & matres vestras tenera diligite pietate, ut & vestra conjuges mereantur matrum nomine nuncupari. Nemo patrem alperis verbis lædat, non fiat amara dulcedo. Hoc sit inter parentes & filios, quod jubente Domino natura continuit. Affectum sonet quicquid linguæ dixerint liberorum. Inter charas conjunctaque personas, pietatis jura serventur. Hoc filiorum ora loquantur, quod parentes delectat audire. Præbeatur patribus amor mixta formido, qui primi nobis sunt causa nascendi. Exhibete patribus filii quod vos potestas paterni nominis cogit, quæ adeo est eorum meritis attributa, ut ipsa de vobis exigat quod natura jubere non potuit. Matribus quoque debitam impendite reverentiam, quæ vobis uteri labore servientes, pondus vestri corporis tolerant: atque ignotam portantes infantiam, famulatum quandam exhibent nascituris. Illo tempore non sibi tantum mater esurit nec acceptos sola digerit cibos. Materno victu alitur & ille qui lactet, ejusque membra alterius commestione pascuntur: ut homo futurus, alienis moribus saturetur. Quid ipsa memorem nutrimenta, & tenere infantie dulces injurias, quas nutritoris affectus de suis parvulis sumit: Quid cibos in matre confectos, qui fœminis manantes ex membris, lactem solvantur in succum, & fauces invalidas liquido sapore perfundunt. Cogente natura sumunt infantes de matre quod bibant, & dente non nato, hoc sibi currentibus labris eliciunt, quod non sit necesse morderi. Serviant materna posteris peccata, serviant ipsi incunabulis, manus & terga membris devota

Tom. V.

lactentium gratos artus accipiunt. Optat mater parvulum crescere, optat citò videre majorem, eumque numeris juvenum miscere festinat, nunquam sibi forsitan servitutum. His tot tantisque præcedentibus factis, parentibus, matri tota debet alacritate serviri. Reddatur naturæ debitum, reddatur & posteris quod debetur. Exolve fili quod debes, & officia debita qualicumque exhibe famulatu, quia parentibus nemo potest reddere quod debetur. Humilitas talibus oblata personis, vivendi tempus extendit: & morte dilata, multum nostram prorogat vitam vicemque facientibus reddens, officia nostra Domino jubente commendat: qui intantum nomen parentum diligit, ut seipsum patrem jussit dici. Irreverentem autem filium, quid de Domino ipse mereatur, Salomonis dicta testantur: Contumeliosus afficiens patrem, & contemnens senectam matris, confundetur, & in opprobriis erit. Filius derelinquens custodire disciplinam patris, meditabitur sermones malitiæ. Maledicenti patrem & matrem extinguetur lumen, & pupilla oculorum ejus videbunt tenebras. Audi fili patrem qui te genuit: nec contempseris quia sensit mater tua, Pareat patri lingua quam genuit, & matrem suam nemo crudeli verbo percitat. Sic te rapiat filii juvenilis ætatis auctoritas, ut noveris unde sis natus. Memento scripturæ sententiæ, ubi Spiritu sancto loquente dictum est: Quia qui maledixerit patri aut matri, morte moriatur. Memento ergo parentum esse quod talis es: quorum manibus crementa sumpsisti. Fauces tuæ necdum lactem perdidit saporem, quem tibi pia mater infundens, linguam istam pavit potu corporis. Impende debitum patri matrique servitium: qui nunquam tuos vagitus horrentes, totum in te lambebant oculis corpus. Sit tibi grata salus ipsorum, quibus charior est tua vita quam propria. Redde amoris vicem colenda pietatis. Facta parentum tuis cunabulis commoda, officii propriis exolve. Parentes enim ideo debent haberi dulciores, quia per alios reparari non possunt: & cum eos lex naturæ subtraxerit, nec patrem tibi alterum poteris invenire, nec matrem. Mutato conjugio nec vitricus pater est, nec noverca potest nomen matris implere. Nullus igitur filiorum auctorem lucis suæ cadat injuriis. Nemo parentibus optet adversa, qui liberos suæ salutis anteponunt. Intolerabile nefas est, ex illo ore protervum audire sermonem, aut illis pulsari manibus, quas amor diligit. Oculorum vestrorum timete sententiam, quam Dominus promissit ingratis. Meretur enim cæcitate sua subire supplicium, qui parentum vultus vel torvo visu despexit: & elatis oculis læserit pietatem. Si quicumque sapitis filii, eo animo videte venerabiles facies, quo vos ipsæ conspicunt, & eorum labris dulcibus osculis inhærete, quia eorum oscula adhuc habetis in membris. Senibus servire perfacile est, quos nemo potat, nemo nutrit succo corporis sui. Foveatur itaque parentum senectus, & factis eorum vicissitudo reddatur. Habet enim quandam senectus infantiam. Videant liberi vestri quid faciant, vobis vicem similem reddant. Imitamini filium Machabæum, qui matri mortem suadenti servivit, & durum imperium gratanter aggressus est, ne offenderet genitricem. Maluit fratrum sociari funeribus, quam voluntati matris obistere. Ita enim matris suadentis voluntas perfecta est: ut Deo filium faceret martyrem, & fratrum coronis participem. Denique obsequium suum melius morte probans, suasionem sermonis matris implevit: & lucem istam morientem contemnens, consors martyrum factus est, ut illa germanitas æterno collegio firmaretur. Ecce quid præstitit animus matri subiectus. Devotus filius obediendo promotus est, qui nolens maternam aliquatenus lædere pietatem, perpetuam vitam passionis suscepit, qui Dominum confitendo, ineretur cum fratribus à Domino coram angelis coronari.

CENSURA EPISTOLÆ SEQUENTIS.

Et hanc sermonis discrepantia satis arguit ab Hieronymo non fuisse scriptam. Quod quidem & hinc colligi poterat, quod in exemplaribus variat titulus: In nonnullis ad Damasium inscripta est, in aliis ad Rusticum Episcopum Narbonensem, in quibusdam nullius habet nomen. Deinde in aliis codicibus habetur integra, in aliis mutila. Postremo non est veri simile, divum Hieronymum si de re tanta, tantum scripsisset librum, non alicubi citaturum fuisse, cum multo breviores & leviores argumenti tam frequenter citet.

G

SUFFICERE quidem fidei tuæ arbitror conversationem sanctam quam habes in Christo Jesu ad sacerdotalis ordinis dignitatem, arctam tibi & angustam intellectus viam in Domino referare, quia præcedentibus meritis ac virtutis insignibus, ad hoc officium electus à Deo es. Licet in multis gratia Christi sine operibus comprobetur, & cessante merito conversationis ac vitæ, sola Dei dona fructificent. Tamen quia tu præ cæteris electus à Deo ob hoc comprobaris, qui & legis opera implet, & commoraris in gratia usque ad supereminentem scientiam charitatem, intellectu Dei tecum loquente festinanter existentibus cogitationibus insignibus; hoc vis nosse quod factus es. Totius tibi Ecclesiæ prout præcipis sacramenta referabo: doctrinæ ordinem & locum custodiens, & quid qualiter observare debeas docens: si modo ad injuriam non revoces novelli exhortatoris industriad, ac te non pudeat paulisper minorem esse dum discis: quia seposito, ut vides, privilegio dignitatis, habes de nobis amplius quod quaeras. Et id quod jam pridem in consecratione consecutum te esse credis, restat ut capias: ne minor inveniaris in Christo, quam in mundo interim nominaris: ac si falsi vocabuli inutilis pastor existas, cum hæc que in Domino latent sacramenta nescires. Nos tamen tenentes in omni disputatione rationem, ac tecum simpliciter fabulantes: verum te Episcopum animarum debere esse monstrabimus: ut factus tibi ipse judex, hoc quod loquimur implere festines: & nobis contentiens, verecundia & confusione rejecta, eligas abjectus esse in domo Dei, magis quam habitare in tabernaculis peccatorum. Sic enim Jesus ait: Reges gentium dominantur eorum, & qui potestatem habent, Domini vocantur: vos autem non sic; sed qui major est vestrum, fiat sicut minor, & qui princeps est, fiat sicut minister. Quis enim major est, qui recumbit, an qui ministrat? In gentibus quidem qui distabit, major est: inter vos autem non sic, sed qui ministrat. Ego autem in medio vestrum sum sicut qui ministrat. Et vos quia estis permanentes mecum in tentationibus meis: ego dispono vobis sicut disposuit mihi pater meus regnum: ut edatis & bibatis in mensa mea in regno meo, & sedetis super sedes duodecim judicantes duodecim tribus Israel. Et alibi: Rectorem posuerunt te, noli extolli, sed esto tanquam unus ex ipsis. Et alibi: Non ut domineris clero, sed ut forma sis omnibus. Et alibi: Templum Dei estis, & Spiritus Dei habitat in vobis. Si quis autem templum Dei violaverit, disperdet illum Deus: Templum enim Dei sanctum est, quod estis vos. Quoniam ex ipso, & per ipsum, & in ipso sunt omnia, ipsi gloria in sæcula: unus enim Deus noster & pater Domini nostri Jesu Christi, ex quo omnia, & nos in ipso: & unus Dominus Jesus Christus, per quem omnia, & nos per ipsum. Sed non in omnibus est scientia. Cæcitas enim contigit ex parte in Israel: donec plenitudo gentium intraret, & sic omnis Israel salvus fiet. Concluit ergo Deus omnia sub peccato, ut omnium misereatur. Ante omnia humilitatem dilige: quia superbia apostatare facit à Deo: & initium omnis peccati, superbia est. Deus enim noster formam servi accipiens, humiliavit se usque ad mortem, mortem autem crucis. Omnes scripturas mente percurrere, totum canonem lege: atque habens ante oculos exempla sanctorum, imitare quod bonum est, amulare quod sanctum est. Factusque tibi Hierosolyma cælestis, Deo vota restitue. Domum in te & Templum Salomonis ædifica, tabernaculum fabrica, & diligentius exornare festina. Intra sancta sanctorum, indeficiens lumen accende, perfectionem in omnibus tene. Pone custodiam ori tuo & ostium circumstantiæ labiis tuis. Non des in tentationem animam tuam, & non obdormiet qui custodit te. Exalta vocem tuam, & dic: Omnis caro fœnum, & omnis gloria hominis ut flos fœni: Aruit fœnum & flos decidit: verbum autem Domini manet in æternum. Sacerdos enim Domini qui de ore suo profert justitiam, & exquirentibus annunciat veritatem, angelus Dei omnipotentis est. In omnibus causis serva justitiam. Peregrinantem, & orphanum, & viduam & pauperem, vel pupillum, vacuo gremio non dimittas. Ibi que thesaurum tuum, ubi & cor tuum est, conde. Cum omnibus fratribus tuis, sicut scriptum est, pacem habe. Concilia impiorum fuge: ne dum judicas condemneris. Sic enim scriptum est: Beatus vir qui non abiit in consilio impiorum, & in via peccatorum non stetit, & in cathedra pestilentia

non sedit. Sed in lege Domini fuit voluntas ejus, & in lege ejus meditabitur die ac nocte. Potentum perlonas, divitum notitias, salutantium obsequia ita accipe: ut pauperem non contristes, nec ulli fastidium excusationis inducas. Non recedat liber legis, ut scriptum est, de manu tua, sed meditare in eo die ac nocte. Sic enim scriptum est: Sine offensione estote Judais & Græcis & Ecclesiæ Dei: sicut & ego omnibus per omnia placeo, non quaerens quod mihi utile est, sed quod multis, ut salvi fiant. Prius quam audias ne judices quemquam: atque ante probationem accusationis illate, neminem à tua communione suspendas: quia non statim qui accusatur reus est, sed qui convincitur criminofus. Nec præstandum odii singulorum est, ut innocentum fratrum domineatur injuria: quinimmo timor Domini ante oculos semper est habendus: & totum quod agitur, Deo & Christo scias esse præstandum, non temporari. Nam præterit figura hujus mundi, & Deo magis obedire convenit quam hominibus: qui sit præterita, & de futuris æstimat. Uno enim sermone tota lex adimpletur: Omne quod tibi fieri volueris, alii ne feceris. Domi si fieri potest postposita personæ tuæ cura officique reverentia, servum servis esse te convenit: atque ita Israel in omnibus perdocere: ut quicumque te audiunt, convertantur ne tua magis, quam sermone proficiant. Sic enim scriptum est: In sapientia ambulate ad eos qui foris sunt. Non te extollat salutatio plurimorum. Munera divitum & obsequia te non vincant: quia munera, ut scriptum est, excæcant oculos judicum. Nec plus sit apud te matrona nobilis & dives, quam professa pauper atque mendica: aut vidua maritali auxilio destituta, æqualis ei quæ habet virum potentem in sæculo videatur. Alienum te à personis omnium reddendum judica: ac propter injuriam in judicio pauperem non defendas: nec propter gratiam diviti indecenter assistas. Aut si hoc non potes facere, cognitionem respice causarum. Sola esto tibi lectione & oratione contentus. Neminem enim, ut scriptum est, diligit Deus, nisi eum qui cum sapientia habitat, ac nullum lædit. Ita si feceris, Deo utilis in omnibus comprobatus, perfectum sacerdotium in te retentabis. Expelle de templo Christi, oves & boves & columbas vendentes, & numulariorum evertit menas: quia domus patris nostri, domus negotiationis esse non debet, sed orationis. Et quod judicio Dei projicitur, desiderari propter damnationis sententiam non oportet, ne reprobi inveniamur in Christo. Sicutque fiet ut in veritate consistens, septiformis Ecclesiæ sacramentum nosse merearis, quod in omnipotentia Dei cum sua veneratione consistit, id est, in Patre, & in Filio, & in Spiritu sancto, in archangelis, in angelis, in sapientia, in hominibus. Quæ omnia si diligenter aspicias, totius in his dispositionibus Ecclesiæ Catholice fundamenta cognosces. Et per hos gradus, si universa observaveris quæ scripta sunt, Deus erit in memoria tua, & tu in domum tuam revertaris.

De primo gradu Ecclesiæ, qui fossariorum ordo est.

PRIMUS igitur in clericis fossariorum ordo est: qui in similitudinem Tobie sancti, sepelire mortuos admonentur: ut exhibentes visibilium rerum curam, ad invisibilium festinent: & resurrectionem carnis credentes in Domino, totum quod faciunt, Deo se præstare, non mortuis cognoscant. Tales ergo fossarios esse Ecclesiæ convenit, qualis Tobias Propheta fuit: ejus fidei, ejus sanctitatis, ejus scientiæ atque virtutis. Non ergo putes parvum esse officium fossariorum: aut sicut cæteri sacerdotes in famulis Dei despicias sacramentum, ac plus diversorum servis deferas vel amicis, quam Christi in templo, cum preces fundis, cujus membra veneraris, cum omnibus participare te convenit, non solum in altari, sed & domi, cum omnibus esse convivam, atque inter domesticos parietes simpliciter residere. Si amas Tobiam Prophetam, & si ejus imitaris exemplum, si implet quod scriptum est: Qui recipit Prophetam in nomine Prophetæ, mercedem Prophetæ accipiet: cave ne huic officio per superbiam tuam aliqua irrogetur injuria, quam laicus qui minor est Tobia, non meretur. Te enim ita de Dei membris oportet habere judicium, ut intelligas Ecclesiæ sacramentum. Religionis enim & sanctitatis est, quod Episcopus diceris, non Romani consulatus aut juris. Si hoc vis esse quod factus es, serva ordinem tuum, locumque custodi. Defer prophetæ, ut Propheta serviat tibi. Dilige mysteria Dei, ut ameris à Christo. Noli aliquem contristare filii-

citè, aut injusto odio prosequaris: quia sicut tu Christi es, sic & illi Christi sunt: & nemo potens est in hoc sæculo, qui aliquem servorum suorum velit ab aliis conculcari. Tu ipse quoque, si libenter accipias quod dicturus sum, cunctorum famulis propter eos quibus servitur, honorem defers: atque unumquemque prout potens est ejus Dominus, veneraris. Dic mihi quæso, quis major est Christus? aut cui tantum debes, qui pro te sanguinem suum fudit, & qui te Ecclesiæ suæ præposuit, & qui te honoravit in cunctis, qui omnium tibi divinorum sacramenta concessit? Nunquid meretur Dominus Deus tuus, ut cum hæc præstiterit propter bonitatem & misericordiam suam, servos tuos deprimas, deroges Christo: ac nullum nisi te solum putes ad Dominum pertinere: tibi tantum existimes reverentiam deferendam: ac famulos Christi in conversatione tibi creditos, non in ministerio ut liberos habeas, sed ut servos in dominatione possideas? Hæc enim præ cæteris Deus damnat, & nihil gravius fert, quam ut cum scias hominibus deferendum, Deo ipse non deferas: cum servum principis atque ejus militiæ deputatum prosequi & laudare non audeas, eos qui veri Dei servi sunt, & vero Christi caractere censis, ac per baptismi gratiam liberi, & per clericatus officium militantes, abiectioni putes & ignominia deputandos: ut plus interdum apud conscientiam tuam, si injuriam non faciat nostra correptione, servis quam clericis parcas, & in his aliquem vernaculum diligas: illos velut alienos despicias, & malis mundo placere quam Christo. Pro fide, pro religione, pro proposito sanctitatis deferre interdum clericus servo cogitur: & ad ignominiam non ferendam, vilis judicatur in mundo, qui summus in cælo est. Rectè hæc repudias, rectè ista non servas, si Episcopus esse non vis, si cælorum regna contemnis, si nullum cum Deo cupias habere consortium. Certè si electum te à Deo gratularis: si factum te pastorem gregis, si te creatum sacerdotem clericis recognoscis, laborare debebis, ne tibi tua membra displiceant, ne id quod Christi est reproberis. Sic enim ait Apostolus, nunquid potest caput pedibus dicere: Non desidero opera vestra: Unum enim corpus & multa sunt membra. Si tu caput es, pedum tibi officia necessaria sunt: pertinere ad honorem tuum atque ad substantiam corporalem pedes, ipse cognoscis: sine his, ut ipse nosti, ambulare non potes. Hi te sustinent, hi totum corpus promovent, hi dirigunt caput, hi primum te esse faciunt. Perditis his, contemneris à cunctis fidelibus: ac tibi ipse odibilis factus, amarum vitam in sæculo retentabis.

De secundo gradu Ecclesiæ, qui ostiariorum ordo est.

SECUNDUS ostiariorum locus est, qui claves regni cælorum tenent, quæ patriarchis dantur, quoniam præstant portis Jerusalém, atque inter bonum & malum habentes judicium, aperiunt quod nemo claudit, & claudunt quod nemo aperit. Jam hic considerare te convenit, quæ circa ostiarios Dei debet esse diligentia, quanta his membris atque officiis reverentia per te deferenda sit. Intrare templum nisi per hos non potes. Hi enim sunt ordinati per vices suas, ut omnia quæ intus sunt extraque custodiant, atque perfecti in omnibus fideles recipiant, respiciant infideles.

De tertio gradu Ecclesiæ, qui lectorum ordo est.

TERTIUS lectorum ordo est, qui Deo, Christo & Prophetis datur, secundum quod scriptum est: Exalta vocem tuam, & dic: Omnis caro fœnum, & omnis gloria hominis sicut flos fœni: aruit fœnum & flos decidit, verbum autem Domini manet in æternum. Denique Dominus noster legens in templo, formam lectoris assumpsit. Hi sunt ergo lectores, qui cantant canticum Moyfi & agni: hi sunt qui sequuntur immaculatam agnum quocumque irerit, qui cum mulieribus se non coinquinaverunt, virgines enim sunt. Horum numerus est angelorum: & nomen angeli convenienter sacerdoti adaptatur, qui usque adeo æquales tibi sunt per hæc officia sanctitatis, sicut scriptum legis: Sacerdos qui de ore suo profert justitiam, & exquirentibus annunciat veritatem, angelus omnipotentis Dei est.

De quarto gradu Ecclesiæ, qui subdiaconorum ordo est.

QUARTUS Ecclesiæ dispositionis in subdiacone est ordo, qui in Esdra Nathinnee appellatur in humilitate Domino servientes. Propter hoc in Evangelio Joannis Jesus ad Nathanaël ait: Ecce verè Israëlita, in quo dolus non est. Qui respondens Nathanaël dixit, Magister unde me nosti? Et ait Jesus: Antequam Philippus te vocaret, cum esses sub ficu novi te. Quod propterea scriptum est, ut tu ejus locum dispositionemque cognoscas. Propterea Dominus noster formam servi accipiens, humiliavit se usque ad mortem, mortem autem crucis. Propter quod semper genu flexo orare mandatur. Omnis enim qui se humiliat exaltabitur, & qui se exaltat humiliabitur: Propter hoc Ægyptus competentibus plagis percutitur à Domino. Hæc dies perfectionis ex Ægypto, pascha Domini nuncupatur; ut quia pascha nostrum immolatus est Christus, plenitudinem totius mysterii atque sacramenti, in rerum officis recognoscas, nec per arrogantiam non ferendam, despicias eos qui aut oblationes in Templo Dei suscipiunt, aut secretorum omnium testes, participes etiam passionum sunt, & cætera. Hi enim primi desideria nostra suscipiunt, hi probant in nobis optimas voluntates, hi repudiant malas, hi ut à Deo suscipiamur assistunt, quorum tibi sicut visibiliter ministeria adesse cognoscis, ita etiam invisibiliter pacem & concordiam utilem esse perpende, ne conficere corpus Christi ac sanguinem ultra non possis, si venturus ad altarium Dei, Ecclesiæ membra neglexeris.

De quinto gradu Ecclesiæ, qui Levitarum seu diaconorum ordo est.

QUINTUS in diaconibus ordo sacramenti est: quorum sors Deus est, qui recedere de templo Domini die ac nocte prohibentur, qui columna & fundamentum veritatis sunt, qui Ecclesiæ Dei sustinent, qui altare Christi sunt, in quo conficiuntur sacramenta, in quo offertur oblatio. Quid ergo in Templo Dei, ut ipse nosti, venerabilius altari esse potest? quis non se ad mensam Domini accessurus humiliet? Et hi sunt, quos in Apocalypsi legimus, septem angeli Ecclesiæ: hi sunt septem candelabra aurea: hi voces tonitruorum: hi in similitudinem Noë sacramentorum justitiæ præcones, non habentes in se maculam aut rugam, atque in candorem lucis effecti: in omni Israel Deum valent prospicere, puri mentibus, animabus candidi, virtutum operatione præclari, humilitate præditi, quieti, humiles, evangelizantes pacem, annunciantes bona: dissensiones & rixas & scandala refecantes, soli Deo colloquentes, in templo nihil de mundo penitus cogitantes: dicentes patri & matri, non novimus vos: & filios suos non agnoscentes. Denique & Levi, ut scriptum legimus, sacerdotalis tribus est, & caput omnium sacerdotum: sine hoc sacerdos nomen non habet, ortum non habet, officium non habet: hic minister Dei dicitur, quia scriptum est: Quis major est, qui ministrat, an cui ministratur? Et sicut in sacerdote consecratio, ita in ministro est sacramenti dispensatio. Illi orare, huic psallere mandatur. Ille oblata sanctificat, hic sanctificata dispensat. Ipsi etiam sacerdotibus propter presumptionem non licet de mensa Domini tollere calicem, nisi eis traditus fuerit à diacono: ut præcedente ministerio sanctitatis, humiliatus paulisper post consecrationem, dum ministro reverentiam exhibet, quantam ministerio Dei debeat recognoscat: ita enim Deus noster omnipotens universa disposuit, ut qui majorem se esse crediderit, minor sit: & qui videretur minor, major existeret. Denique quam hoc verum sit, ipse perpende. Levitæ inferunt oblationes in altari. Levitæ componunt mensam Domini. Levitæ cum sacerdotibus, dum sacramenta benedicuntur, assistunt. Levitæ ante sacerdotes orant, ut si distinctio locorum creditur in mundo, etiam in altari Dei videant sibi Episcopi, si superbi sunt, diaconos anteponi. Si humilitatem diligunt, majores se esse in eo quod sunt humiles cognoscant. Tunc deinde ut aures habeamus ad Dominum, diaconus aclamat, ipse prædicat, ipse hortatur, ipse commonet astantibus sacerdotibus, ne leviter hanc vocem, quæ loquitur hæc, & pacem annunciat, aut negligerenter aspicias, aut contemnendam putes. Sufficit huic ordini tantum per Dominum fuisse concessum, ut non solus